

Dissertatio inauguralis medica, qua novum febrium acutarum specificum Anglicanum / ... proponit ... Theoph. Banjamin Faber.

Contributors

Faber, Theophilus Benjamin.
Gmelin, Johann Georg, 1709-1755.
Universität Tübingen.

Publication/Creation

Tubingae : Litteris Bauhof-et Franckianus, [1753]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/knfeetfa>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

Q. D. B. V.
DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA,
QUA
**NOVUM FEBRIUM
ACUTARUM SPECIFI-
CUM ANGLICANUM.**


P R A E S I D E
VIRO
*EXCELLENTISSIMO ATQUE EXP-
RIENTISSIMO*
**JOHANNE GEORGIO
GMELINO,**
MED. DOCT. CHEM. ATQUE BOT.
PROFESS. PUBL. ORD.

Pro summis in Arte Medica Honoribus consequendis
proponit

D. XXII. SEPT. A. MDCCCLIII.

AUCTOR
THEOPH. BENJAMIN FABER,
Neostadiensis.

T U B I N G A E,
LITTERIS BAVHOF- ET FRANCKIANIS.





3

P R A E F A T I O.



Agnus remediorum in morbis vulgo jactatorum est numerus ; Plerumque vero promissis ab ipsis factis, si ad experientiae lydium lapidem examinantur , non respondent. Hinc medici saepius jam decepti cautores nunc facti tali recens jaetato remedio fidem non statim adjiciunt , sed eam tamdiu suspendunt, donec ab aliis fide dignis Viris virtus eorum extra dubium posita & per crebram experientiam luculenter demonstrata sit. Repetita enim crebraque experientia ad remedii alicujus præstantiam extra dubium ponendam opus est. Quapropter etiam experientia à maximis in arte salutari Viris quam maxime semper commendata , præcipuumque therapiæ & pathologiæ fundamentum appellata fuit. Ita Baglivus Oper. omn. cap. I. pag. 5. quidquid, ait , inest certi medicinæ , observationibus magna ex parte debetur , & in præfat. nullam prorsus & nobilissimæ scientiæ exornandæ & curandis hominibus ulteriore operam navari posse , quam si præstantissimæ artis studiosi immenso retro jam factas à majoribus nostris observationes attenderent , novasque indies animadverterent & notarent ; Ita etiam Vir post fata adhuc Illustr. Fr. Hofmannus Med. Syst. Rat. Tom. II. §. V. pag. 5. accuratiores , inquit , morborum historiæ & observationes primum & præcipuum pathologiæ & therapiæ constituunt fundamentum , & in præfat. Dissert. de modo morbos consignandi : Se unam de certo morbo accurate consignatam & cum omnibus circumstantiis no-

tatam historiam plus æstimare, quam mille laudana, ar-
cana & splendidissimas medicamentorum compositiones.

Hæc de experientiæ in remediorum viribus certo co-
gnoscendis necessitate tractationi huic de novo febrium
acutarum remedio ideo præmitto, quia remedium hoc
si Auctori fides habenda, multiplici etiam sese comen-
davit experientia, adeoque præcipuo veritatis sigillo &
signo, experientia nempe gaudet.

Affirmat enim inventor ejus, se nihil asseruisse, nisi
quod crebra & repetita experientia constanter ita se ha-
bere comperuerit ante, neque quidquam de eo reticuisse,
quodcunque illud esset. Fidem vero facit, illud in febre
substrata acuta etsi vehementissima & in maximo gradu
constituta semper exoptatum habuisse effectum, pericu-
lumque nunquam non abegisse, id quod in sequentibus
pluribus dicetur. Sed veniam hic peto, quod de remedio
novo agere sustineam, neque tamen ullum habeam quod
ex propria praxi de ejus præstantia allegare experimentum
valeam; Spem tamen alo, illam à benevolo lectori im-
petrandi, si quis mihi scopus fuerit, prius intellexerit.
Nimirum quum febres acutæ, si Sydenhamio credendum,
tertiam partem ægrorum eis laborantium è medio tol-
lant, adeoque ex classe morborum truculentissimorum
sint, hoc præcipue mihi arridebat Dissertationis thema,
quod remedii certi contra eas spem facit; Mens simul
est, præstantiam ejus quantam constituentium qualitas
& præparandi modus de eo pollicentur, ostendendi,
lectori suum judicium nequaquam præripiens. Su-
pereft, ut primos hos meos conatus lectori de meliori
commendem, & ut illos indulgente fronte perlegere
velit, rogem obsecrumque.

FORMULA REMEDII.

v. Ol. Sulphur. per camp. Ingitime præpar.

vitriol. rect.

Salis. ana. p. ae.

Spir. vini rectificatiss. triplum horum omnium, digere per mensem: ad siccitatem distilla.

Hujus Spiritus libris duabus add. Rad. angel. serpent. Virgin. Sem. cardam. ana. drachmas sex. F. tinctura.

Administrandi modus.

HUJUS TINCTURÆ TANTUM AQUÆ PURÆ INSTILLETUR, QUANTUM AD GRATAM ACIDITATEM CONCILIANDAM REQUIRITUR, JULEPUSQUE RESULTANS SACHARO AD GUSTUM ÆGRI EDULCORETUR, ILLIQUE SITIENTI QUANTUM DESIDERAT, AD BIBENDUM EXHIBEATUR. PLERUMQUE SEX LIBRA SPATIO VIGINTI QUATUOR HORARUM SUFFICIUNT, POST EARUM ASSUMPTIONEM IN SUDOREM ÆGER INCIDIT, & URINA COCTIONIS SIGNA DAT, SYMPTOMATAQUE VEL PLANE CESSIONE VEL SALTEM REMITTUNT. QUANDO FEBRIS VIGINTI QUATUOR HORARUM SPATIO NONDUM PENITUS EST SUBLATA,ILLA REMEDIO PER ÆQUALE TEMPUS, SED IN MINORI QUANTITATE CONTINUATO, CUM OMNIBUS SYMPTOMATIBUS CERTO AUFERTUR.

Inventum hoc remedium est abs JOH. CLUTTON, Anglo, & publicæ luci expositum in libro, anglico idiomate conscripto, qui elapso anno in Gallicam linguam translatus est, sub titulo: Methode courte & assurée pour guérir les fiévres continues, traduit de l' anglois. à Paris 1752. adjectus libro sequenti: Essai sur les fiévres & sur les différentes espèces de fiévres, qui dépendent de la constitution du sang, de Mr. Huxham.

Ne vero sine ordine nostra erret tractatio, illam in sequentes sectiones dispescimus. 1.) Præcipuos effectus qui de eo in dicto libro referuntur, recensemus. 2.) Quædam de febre acuta in genere differimus, quantum nimimum ad nostrum scopum requiritur. 3.) Modum febres acutas curandi exponimus, & 4.) quanta remedium novum in curatione febrium acutarum revera polliceri videtur, ostendimus.



Primo loco ponimus methodum Cluttoni, febres acutas mediante suo specifico novo tractandi, qualis in laudato ejus libro descripta legitur: Febrium acutarum curatio fere solo julepo descripto absolvitur primis morbi diebus. Si quinque primi dies effluxerunt, bezoardicum minerale cum illo conjungendum & sexta quavis hora à septem ad viginti grana exhibendum est. Secretiones enim omnes promovet, fibrasque ad excernendum stimulat. Variare tamen medicamenta secundum duritiem & magnitudinem pulsus oportet; Si enim pulsus valde plenus est, illi tartarus vitriolatus omni sihoriō dosi scrupuli surrogetur: Tartarus enim vitriolatus ad sanguinis rarefactionem conjunctumque cum illo æstum compescendum magis est appropriatus. Ab initio statim bezoardicum minerale cum julepo febrifugo conjungatur, quando pulsus non valde plenus est, neque diarrhoea adest; Evacuationes tum semper excitat, sanatio nemque accelerat. Si medicus nono jam morbi die elapso demum vocatur, cura vomitorio ordienda, si nausea & conatus vomendi præsto sint; quod ex antimonio sit, quia antimonialia stimulum quendam expulsorum in fibris relinquunt, qui ad crisi promovendam admodum est proficuus. Notandum vero, ab initio statim vomitorium tale dictam ob rationem semper exhibendum esse.

Varianda autem praxis est secundum symptomata supervenientia. Ita si Diarrhoea superveniat (id quod de sudore vel hæmorrhagia modum excedente perinde valet) illa prudenter moderanda, non suppressenda est. In hoc casu Julepum cum infuso florum rosar. r. vel rad. tormentill. parare oportet, qui hac ratione præparatus julepus cum decocto cornucervi ustii ad scopum hunc diarrhoeam moderandi, nisi nimia sit, sufficit. Si nimia autem est, illam sistere oportet sequente bolo ℞. Balsam. Locatelli drachmam dimidiā, corall. r. pp. scrupulum dimidiū, opii granum unum, Diacod. q. s. F. Bolus. Potest tunc etiam bezoardicum minerale cum Theriaca Andromachi pro re nata dari. In inflammatione pulmonum, pleuræ, difficultate urinæ cum julepo nitrum & pectoralia conjungenda, sicque in genere tenendum, semper in inflammationibus particularibus remedia his specifica simul propinanda esse; julepus enim febrifugus nonnisi generali inflammationi medetur. Si febris ad intermissionem

missionem inclinat, quod sedimentum urinæ lateritium, crebra
nausea & vehementes vomendi conatus indicant, omni sihorio
dimidia drachma salis absinthii in uncia una succi citri dandam, cui
si colici simul dolores adsint, aliquot laudani liquidi guttæ ad-
danda. Si impetus febris versus ventriculum & intestina vergit,
vel si ventriculus & intestina præcipue inflammatione affecta sunt,
id quod ex nausea & vehementibus vomendi conatibus cognosci
potest, tintura febrifuga sine aromatibus propinanda, spirituo-
sum omne vitandum, & omnia alimenta calida sumantur, diæta ex
digestu facillimis & alimentis liquida forma gaudentibus constet,
conclavisque aër, quantum æger desiderat, ventiletur, simulque
si alvus lubrica est, alimenta ita comparata sint, ut illam non
magis deturbent. Si constipata alvus est, clystere emolliente
subducenda, aut bezoardicum minerale in electuario lenitivo ^{a)}
Pharmacop. Edinburg. exhibendum. Clysteres locum habent,
quando æger per plures jam dies constipatus est, tunc enim in
clystere promta est medela, quum electuarium lenitivum in quo
bezoardicum min. datur, pluribus horis, donec effectum exerat,
opus habet, neque vero tamdiu exspectandum esset. Varianda
etiam praxis est secundum diversas febris periodos. Ita si ad de-
cimum quartum usque diem ceu ordinarium criseos tempus per-
durat, sœpe vehementibus symptomatibus, qualia sitis ardens, labia
& lingua nigra & sicca, urina rubra, magnæ inquietudines, deli-
rium, subsultus tendinum, tremores, oculique fixi immobiles
sunt, stipatur; tunc uncia una aquæ cujusdam cordialis libræ uni-
julepi febrifugi admiscenda, & bezoardicum min. cum croco,
castoreo aliisque cordialibus dandum. Si convulsiones horren-
dæ sint, ex nervinis semper seligenda, quæ minimum rarefaciunt,
qualia gummi ammon. visc. quern. Sal. Succini sunt. Si ad de-
cimum sextum vel decimum octavum usque diem continuat, uti
accidit, si vel ægrotus julepum non sufficienti quantitate bibt,
vel accidens quoddam supervenit, vel in Medico perperam cu-
rante culpa est, sanguinis rarefactio ad summum gradum evehi
solet; tunc dupla vel tripla dosis nitri, salis ammoniaci aliorum-
que

^{a)} Electuarium lenitivum constat ex caric. ping. libra una, fol. Sennæ. unc.
VIII. pulp. tamarind. casiae, prunor. gallic. ana. libra dimidia. Sem. co-
xiandr. unc. IV, glycyrrhiz. unc. III. Sachari libris duabus cum dimidia.



que remediorum sine excitatione inflammationis stimulantium saliumque neutrorum, quæ in tali casu bezoardico min. magis appropriata videntur esse, sine periculo datur, immo quandoque id necessarium est, præsertim si usque ad criseos tempus regimen & medicatio calida & aromatica fuerunt adhibita.

Hæc illa Methodus est Cluttoniana, febres acutas tractandi, quæ in summo febris gradu ubi mors certa videtur esse, omnem possibilem habet successum vid. sect. II. observatis saltem quas adduximus cautelis; uti auctor ejus in plus quam mille personis se observasse testatur, nosque ex libro ejus edit. gallic. ejusdem verbis hoc transcripsimus.

Sect. I.

Quos præstiterit effectus.

Si ab initio statim in usum trahitur, & sufficienti quantitate potatur, omnem febrem acutam spatio viginti quatuor horarum aufert. Notandum tamen, illas febres hic excipiendas esse, quæ certa & determinata crisi solvuntur, uti pleuritis, peripneumonia, variolæ, morbilli &c. sunt, quia ad crisin, quod vocant, quatuordecim dierum pervenire illæ debent. Avertitur tamen ejus beneficio periculum, quod à febre nimia instat; Febres que symptomaticas certo tollit. Nemo non intelligit, illud maximi faciendum, reliquisque hactenus usurpati medicamentis longe præferendum esse, si ea quæ modo de illo diximus cum veritate consentiunt. Tertius enim quisque secundum Sydenhamii supputationem, si antea jam dicta repetere licet, ex hac febre perit. Dictis qui fidem adjicit, illi non incredibilia videbuniur, quæ sequuntur, & laudatus Auctor porro de ilio refert: purpura, delirium, si im ardenter, stupiditatem, anxietates præcordiales aliaque febribus acutis sæpe se adjungentia funesti præfigii symptomata illius ope adhibiti, ab initio morbi statim averti, aut si medico vel nimis sero vocato vel febre antea perverse tractata supervenerint, mitigari statim.

Ipsissima Auctoris uerba adducemus , ut res clarior evadat.
 p. 362. a) Effluxis viginti quatuor horis , inquit , æger in le-
 nem incidunt sudorem , & omnia symptomata penitus evanescunt ,
 aut saltem multum imminuuntur. Si julepus per æquale adhuc
 temporis spatium , in minori tamen quantitate continuatur , fe-
 bris omnis penitus aufertur. p. 399. b) Methodus à nobis tra-
 dita magnam hanc habet prærogativam , ut si medicus nimis sero
 consultus , ægrotum fere exhaustum , aut timendo malorum sym-
 ptomatum pondere obrutum offendat , illi tumultus statim com-
 ponantur , & symptomata moderentur. p. 99. c) Non memini
 ullum eorum symptomatum quæ febribus malignarum epitheton
 imponunt , supervenisse , si nostra tractabantur methodo ; ut proin
 omnes methodos quæ impedire nequeunt , quo minus febres
 acutæ in malignas degenerent , indignas reputem , quæ legantur.
 p. 375. d) Quum pluries diversos febrium acutarum progressus
 viderim , & ad minimum mille personas hac methodo tractave-
 rim , audeo asserere , in maximo febris gradu in quo mors certa
 videbatur esse , illam omnem possibilem habuisse succesum . &

B

pag. 400.

- a) Au bout de 24. heures le Malade tombe presque toujours dans une sueur douce , & tous les symptômes s'évanouissent en entier , ou du moins diminuent très - considérablement. En continuant l'usage du julep pendant 24. heures de plus , & dans une quantité plus modérée , on emporte la Fièvre entièrement.
- b) La Methode que nous donnons ici a ce grand avantage , quand le Medecin n'est consulté que tard , & qu'il trouve son Malade presque épuisé , ou même accablé d'un poids redoutable de symptomes de malignité , que toute courte qu'elle est , elle commence par calmer les desordres , & modérer les symptomes.
- c) Je ne me rappelle point que dans tout le cours de l'administration de nos remèdes , il soit jamais survenu aucun de ces symptomes violens qui font donner aux Fièvres l'épi.hète commune de Malignes. Aussi ne puis - je regarder que comme presqu' indignes d'être lues toutes les prescriptions de pratiques contre les Fièvres , quand elles n'aident pas la Nature au moins jusque - là.
- d) Comme j'en ai vu plusieurs fois les divers progrès , & que j'ai fait usage de ma méthode pour mille personnes au moins , j'ose assurer mes Lecteurs que même dans le plus haut periode du mal , où la mort paroiffoit certaine , elle a eu tout le succès possible , moyennant la simple observation des precautions dont nous avons parlé.

pag. 400. a) Omnes febres continuae quæ ab Anno 1707. ad præsens usque tempus (1729.) Londini grassatae sunt, cujus-cunque speciei, in quacunque periodo constitutæ, immo à qua-cunque caufa ortæ essent, methodo indicata curantur. Probe-que observavit eos qui febrem contraxerant, frigidam æstuanti corpori ingurgitantes, ope aquæ nostræ acidis mixtæ æque bene restitutos esse, quam ii, qui spirituosis antea nimium abute-bantur.

Notandum adhuc in laudato libro qui de febribus continuais in genere agit, methodum etiam tradi, continuaas putridas in quas acutæ perperam tractatæ sæpe degenerant, curandi. Ægroti in continua putrida ordinarie siccæ & torridi attacku sunt, & post aliquot dies linguam sicciam aridam nigramque habent, cum tremoribus, subsultibus tendinum, & quandoque insensibilitate atque stupore, dejectione animi, frequentibus suspiriis, pulsu celeri, debili, tremulo aut inæquali, urinaque fere semper pallida & cruda. Non multum etiam sitiunt, aut certe non tam crebro pœtum poscunt, neque tam libenter bibunt, ac in febre acuta. His julepus antifebrilis hunc in modum præparari debet: Rx. Rad. Serpentar. Virg. contrayerv. croci, ana. drachmas tres infunde aq. bull. libris duabus & colaturam Sachari uncia una edulcora. Adde Tincturæ febrifug. q. s. M. Bezoardicum etiam minerale in conserva quadam calida aromaticæ, uti conservarutæ, aut Theria-ca Andromachi sunt, dari debet, quæ ultima in alvi fluxu præcipue convenit. Hystericis castoreum, succinum, & rad. valerianæ cum bezoardico min. in bolum formata quam maxime convenient. In genere ad diversas circumstantias & symptomata in febre hac præsentia methodus particulariter accommodanda est. Modus hæc tractandi febres putridas communiter humiditatem universalem per

a) Toutes les Fiévres continues, de quelqu' espèce ou période que ce soit, qui ont eu lieu dans Londres depuis 1707. jusqu'à présent (1729.) & qu'on a traitées à l'ordinaire, se guérissent véritablement par la méthode que nous donnons même quelqu'en puisse être la cause: car j'ai, parfaitement bien remarqué, que ceux qui avoient gagné la Fièvre en buvant de l'eau froide, lorsqu'ils étoient échauffés, n'ont pas laissé d'en guérir aussi naturellement que les autres, par l'usage de notre eau froide mêlée d'acides. J'ai obser-vé la même chose dans ceux qui avoient bu du Ponche trop abondamment,

per totum corpus producit, & simul lingua humida, ægrotusque
 tranquillus fiunt, convulsiones & delirium diminuuntur, pulsus
 melior redditur, urina citreum colorem nanciscitur, & sedimen-
 tum deponit, & effluxis duobus aut tribus diebus crisis per
 omnia excretoria fit, febrisque solvit. Excretiones in hac crisi
 non tam promptæ suut, ac quidem in febre acuta ob copiosa ca-
 lida remedia, quæ ad circulationem sanguinis excitandam adhi-
 beri debuerunt. Tenendum vero probe in curatione hujus febris
 est, omnia emollientia & fibras laxantia, nec non salia neutra &
 acida, ut tartarus vitriolatus, sal febrifugum, sal polychrestum,
 nitrum, sal ammoniacum, sal absynthii, & succus limonum, cane
 pejus & angue fugienda esse, immo si nono die effluxo æger non
 justam cujuscunque liquidi quantitatem bibere potest, ejusque
 spiritus vitales quasi suffocati sunt, julepus sequenti modo parari
 debet, resecta tinctura acida. Rx. Aq. Ceras. nigr. uncias duode-
 cim, Pœon. comp. uncias, tres Tinct. croc. drachmam unam, sa-
 chari drachmas quatuor, & Bezoardicum etiam minerale tanquam
 nimis refrigerans seponi, è contrario autem vinum cum præce-
 dente tincturæ, iusculaque pulli & liquida nutrientia exhiberi, &
 vesicatoria atque cataplasmata stimulantia applicari, præsertim si
 singultus stomachique dolor superveniunt, quæ pessima sympto-
 mata insignem naturæ debilitatem indicant, in quo casu omnia
 excitantia, in primis quæ simul anodynæ quid habent, uti Theria-
 ca, Mithridatum &c. in usum trahenda, ultimo remedio si omnia
 dicta nihil effecerunt, naturaque in ancipiti quasi hæret, ut neque
 superari penitus à materia morbifica possit, neque etiam ab illa
 liberari, cinnabaris antimonii à XV. ad XXX. grana & mercurius
 dulcis à VI. ad XII. grana omni sihorio dandi sunt. Hac methodo
 pulsus fortior redditur, & ægro bibendi & facultas & appetitus
 redeunt, sæpe etiam sudor cum notabili euphoria procuratur.
 Quando æger iterum tunc sitit, præscriptis liquidis aut similibus
 largiter & quantum potest utatur, usque dum crisis procuretur,
 quæ decimo quarto die ordinarie evenit, si naturæ debito modo
 suppetiæ ferantur. Si remedia refrigerantia cum calidis & rare-
 facientibus junguntur, hæ refractariaæ febres æque certe ac reli-
 quæ curantur. Methodisque ambabus febres funestissime sym-
 ptomatibus pessimis, maculis purpureis, tumoribus inflammatis,

angina &c. stipatæ persanantur. Non plura de febre putrida addimus, ne in nimiam molem hæ paginæ excrescant. Reliqua in ipso Auctore videri possunt.

Posset à celeritate qua remedium novum febrifugum agit, suspicio subnasci, illius usum hanc ob rationem intutum esse. Objicient, periculosum esse, valida remedia in acutis febribus præscribere. Funestissimi enim eventus observati sunt à venæsecctionis, vesicatoriorum, opii aliorumque ad cujuscunque infolitæ anxietatis, exacerbationis febrilis adparitionem præscriptorum, heroicorum remediorum improviso usu, non examinando antea; a) uti celeberr. Nihell apprime monet, ex antecedente febris in omnibus circumstantiis decursu, an ea, quæ aggrediuntur, accidentalia tantum, an critica potius, symptomata fuerint. Dein crisis qua febres acutæ sæpiissime solvuntur, b) successiva, definita opera est exquisiti corporis nostri Mechanismi innatique & propriæ conservationi invigilantis Principii, quo à creatore ad conservationem nostrorum corporum dotati sumus; illiusque salutares excretiones certis criticis diebus ordinarie contingunt, sic enim c) synocha mitior quarto die, gravior septimo, ardentes & biliosæ, causi dictæ, tertio vel undecimo die &c. judicari consueverunt, posset ergo periculosem videri, & naturæ salutares conatus quasi pervertere, crisi criticosque à natura præfixos terminos præcipitare velle. Ad exigendum istorum animis molestum scrupulum quedam exempla adducam cum felicissimo successu præcipitarum crisiū, in auctoribus passim obvia. Ex Veteribus adsit Peripateticorum Princeps Galenus. Meth. med. L. IX. cap. 4. Charter. Tom. X. p. 205. Ill. van Swiet. comment. in Bœrh. Tom. II. p. 417. Iste unica largissima venæsecctione vehementem febrem ardenter ad miraculum sustulit, ita ut adstans quidam diceret, ipsum febrem jugulasse. d) Ex modernis Doverus e) aliquot tales cum felicissimo

a) Novæ raraeque observationes circa variarum crisiū prædictionem ex pulsu. Amstelod. 1746.

b) ibid. pag. 102. & 103.

c) Fr. Hoffm. Med. Syst. Rat. Tom. III. p. 340. §. VII.

d) Tom. II. p. 417.

e) Legs d'un ancien Medecin à sa patrie. à la Haye. 1734. p. 174. 175. 176.

simo successu in febribus acutis præcipitatarum crisiū historias narrat, ex quibus unicam tantum, quæ ob singularitatem attentionem meretur, feligimus: Juvenis febre acutissima prehensus, in extremis jam jam versabatur. Oculi immobiles capiti infixi erant, maxilla erat pendula, lingua dura & fere penitus nigra, magnis sudoris guttis hinc inde dispersis; Pulsus totaliter suppressus. Subtractis quadraginta octo sanguinis unciis facies naturalem colorem recuperabat, & sudor disparebat. Propinabantur ei potus ex aqua, vino rhenano & succo citri confecti aliquot libræ effiuxis post eorum assumptionem quibusdam minutis, oculos iterum movere, & os claudere incipiebat. Assumta reliqua quantitate (integra quantitas aliquot mensurarum erat) quasi evigilans, iterum cum adstantibus loqui incipiebat, & post decursum horæ lecto surgebat. Sequente die ab omni febre liber, penitus cum sanitate in gratiam redierat. Possem adhuc allegare, dies criticos non ad crisiū essentiam pertinere, auctoritate Magni Fr. Hoffmanni suffultus, qui Med. Syst. Rat. Tom. III. p. 348. §. XIX. expressis verbis: Dies, certi & stati ad essentiam crisiū non pertinent.

Sed objicient ulterius, crisi per febrifugum nōvum excitata non omnem mali fomitem expelli, id vero quod relictum est, recidivas excitare, uti magnum Medicinæ Oraculum Hippocrates in aphorismis suis a) jam annotavit. Ad hæc respondemus, verum quidem esse, omnem mōrbi fomitem non æque simul & semel ac in febre ad crisiū quatuordecim dierum perveniente, evacuari, uti Cluttonus b) ipse fatetur, sed huic incommodo facile obviam iri, si sequentes ad præcavendam recidivam ab illo præscriptæ cautelæ observentur, quippe quibus debite observatis, nullus æger neque in recidivam neque aliud malum, ex curatione febris legitime deducendum incidit. Cautelæ istæ sequentes sunt: Postquam remedium febrifugum eo usque continuatum fuit, dum pulsus & urina indicant fomitem febris maximam partem evacuatam esse, æger rhabarbaro leniter laxandus est, quo materiæ residuæ febrilis secretio promoveatur.

B 3

Biduo

a) Sect. II. aphor. 12.

b) p. 396. & 397.



Biduo vel triduo post, observata interim bene diæta, purgans conveniens propinetur, quod omni triduo seu quatriduo ter vel quater repetendum est. His debite peractis amarum qnoddam roborans per unam, duas tresve septimanas bis quotidie in aqua quadam levi martiali sumatur. Interea vero omnibus negotiis vacent ægri, mentemque ab omni cura & sollicitudine liberam teneant, neque se nimium fatigent, neque libero aëri se exponant. Ni enim hæc rite observent, facillime post breve tempus recidivam incurrere observati sunt,

Sect. II.

De Febris acutæ natura.

§. I.

FEBRIS ACUTÆ NATURAM EXPLICATURUM PRIMO OMNIUM INDICARE oportet, omnem febrem acutam esse continuam, hoc est, ex classe febrium, quæ motum semel excitatum febrilem vel uno impetu ad finem perducunt, continentes dicendæ, vel per vices impetum remittunt, & denuo excitant, continuæ vocandæ.^{a)}

§. II.

ACUTÆ NOMEN à VELOCITATE & PERICULO, CUM QUIBUS DECURRIT, SORTITUR. OPORTET VERO PERICULUM CUM FEBRE CONJUNCTUM ESSE, QUIS ENIM EPHEMERAM, QUÆ VIGINTI QUATUOR HORARUM SPATIO TERMINATUR, ACUTAM VOCABIT? ^{b)} GNAVITER à CELSO ^{c)} SEQUENTIBUS VERBIS DESCRIBITUR: UBI SINE INTERMISSIONE ACCESSIONES & DOLORES GRAVES URGENT, ACUTUS MORBUS EST, &: ACUTI MORBI SUNT, QUI CITO VEL TOLLUNT HOMINEM VEL IPSI CITO FINIUNTUR.

§. III.

EST VERO DIFFUSIOR SANGUINIS IN PARTIBUS VEL EXTERNIS, VEL PRÆCIPUE INTERNIS CONGESTIO ATQUE STAGNATIO AB IPSIUS TURGESCENTIA,
RARE-

^{a)} Boerhaav. aphor. de cogn. & cur. morb. aph. 227, Illas nempe continentes συνάχεις, has συνέχεις vocavit antiquitas. vid. van Swiet. Tom. II. p. 842. & 443.

^{b)} van Swiet. Tom. II. p. 8.

^{c)} Lib. III. cap. I. p. 111. & cap. II. p. 213.

rarefactione appulsive fortiori originem ducens. a) Nimirum constricta spasmodice corporis superficie sanguis introrsum pellitur, intensiusque moveri incipit, unde fit, ut majorem concipiatur caloris jugiter tum durantis gradum & rarefiat; simulque oscula vascorum lymphaticorum relaxantur, ut sanguis in illa propelli possit, sicque inflammatio excitatur. Omnis enim continua febris inflammatorii quid habet. Ista vero inflammatio ubi per totum corpus æqualiter diffusa est, synocha vocatur, ubi vero certi cuidam parti insidet, ab illa particularem accipit denominationem. Si menynges occupat, phrenitica, si fauces, anginoidea, si pleuram, pleuritica, si pulmones peripnevmonica, si ventriculum, stomachica, si duodenūm & biliarios ductus, ardens & biliosa, si ileon, iliaca, si renes, nephritica, si mesenterium, mesenterica, si vesicam, vesicalis, si uterus, uterina, si intestinum rectum, hæmorrhoidaria, audit. b)

§. IV.

In nimis longam nos immitteremus discussionem, si omnes caussas occasionales & procatarcticas curate excutere vellemus. Præcipue gignitur à calido sanguine, corporis exæstuatione, animique excandescientia, potu ingurgitato frigidore vel alia quacunque ratione concitato, vel ab arthriticorum aliorumque externorum affectuum repercussione, evacuationum assuetarum suppressione.

§. V.

Istis ab initio præcipue stipata est & cognoscitur adesse symptomatisbus: Pulsus est magnus plenusque, facies accensa, urina rubra, æger valde inquietus est, delirat & intense sitit. c)

§. VI.

Si fit, d) ut ad caput vergat impetus, tunc facies turgescit, oculi rubent, & lacrymas plorant, caput dolet, arteriæ pulsant temporales, vertigo adest, sopor, torpor, vel plane mentis alienatio.

a) Fr. Hoffm. lib. cit. Tom. IV. p. 323. §. V.

b) ibid. 324.

c) Cluttonus. p. 362.

d) Fr. Hoffm. loc. cit.



natio. Si cordis ventriculi & vasa pulmonalia à sanguine impetuose irruente nimium distenduntur, respiratio difficilis & crebra, pectoris angustia & anxietas, cordisque palpitatio accidentunt, juncta simul sæpe virum corporis animique dejectione. In œsophago levior adest inflammatio, sitis, ariditas & linguæ nigrities, præsertim si in corpus biliosum, calidum, ira excandefatum incidit, tumque vulgo febris ardens, cæsus veteribus vocatur. In ventriculo inflammatio nauseam, vomendi conatum, quandoque singultum, in intestinis inflationes summe dolorificas, alvi adstrictionem, vel excrementorum fœtidorum ejectionem; in arteriis mesentericis vasisque venæ portæ dolorem fixum circa primam lumborum vertebram, semper malignitatem aliquam indicantem a); in membranis medullæ spinalis, decubitus insuetum, membrorum jactationem, torporem & artuum languorem, quandoque etiam convulsiones excitat.

§. VII.

Si partes internæ & nobiliores ab inflammatione sunt affectæ, ingens semper æstus, summa anxietas, sitis inextinguibilis, urinaque flammea cum sedimento roseo quandoque præsto sunt, & quo sensibilius viscus est, eo acerbior simul & ardentior dolor est, b)

§. VIII.

Indicanda etiam est differentia febris acutæ à putrida simplici, quarum illa synocha simplex, hæc putrida seu maligna etiam appellatur. Præter signa putridæ diagnostica in præcedentibus jam recensita à febre acuta adhuc differt. 1. Magna virum prostratione, quæ nunquam non cum illa adest, 2. Causa, quæ in putrida humor acer, putridus, corruptus est, quum in acuta sola sanguinis boni extra vias consuetas congestio sit. 3. Quod illa ad decimum quartum vel vigesimum primum diem extrahatur, hæc

a) Dover lib. cit. pag. 114. & 125. Le Médecin peut être assuré, que toutes les fois que le Patient se plaint de douleurs de reins, de quelque sorte que soit cette fièvre, elle est toujours accompagnée de quelque malignité, quoiqu'il n'y ait personne au monde qui puisse dire de quelle espèce sera cette fièvre, avant sa première crise.

(b) Juncker Cons. Med. Theor. Pract. Tab. XX. p. 164.

hæc autem multo citius, ordinaria methodo quarto, septimo, undecimo die, febrifugi novi ope uno die solvatur. 4. Quod in putrida quandoque maculæ fuscæ vel nigræ excludantur, quod in acute non perinde fit.

Sect. III.

De modo febris acutæ curam adornandi.

§. I.

Dux sunt febrim acutam tractandi methodi, è directo sibi in vicem oppositæ, quarum una calidorum & alexipharmacorum opem implorat, subjuncto simul valde calido regimine, ad expellendum factum aliquod in sanguine latens venenum, vel aliam quamcunque ob rationem, altera refrigerantia adhibet ad præternaturalem calorem fervoremque sedandum. Invaluit prior curandi mos, si Baglivo credendum, ex quo Jac. Sylvius cum Bontekœi schola febrium omnium essentiam in coagulatione sanguinis constituens, sanguinis missionem nec non remedia calorem temperantia prohibuit, spirituosa volatilia vero aliaque somnio conceptam sanguinis coagulationem dissolventia indifferenter quovis tempore in omnibus febribus prescripsit, judicans, calorem non esse febris caussam, sed effectum & symptoma, pulsusque celerem non esse unum ex signis indicantibus sanguinem celerius moveri, sed tardius. a) Similes theorias Helmontius, Scretæ & Cartesiani suis quique inducti hypothesibus foverunt. Sed damnandum tale esse conamen nemo non intelligit, qui considerat, in febre acuta maximum semper adesse æstum & fervorem, qui calidis remediis necessario debet augeri & intendi, unde febris & symptomatum omnium exacerbatio b) consequitur; nec non per alexipharmacæ Massam sanguineam resolvi, sicque febrem malignam redi, alexipharmacæ c) enim calida uti cel. Tralles

C

optime

a) Oper. omn. pag. 128. & 129. §. II.

b) Qui febre acuta moriuntur, plerumque ex inflammatione menynge, vel ventriculi & intestinalium aliarumve partium sphacelosa decedunt, uti Scretæ in libro de febre castrensi crebris sectionibus evicit & monstravit.

c) Tralles de terreis remediis &c. cap. XIX. §. XIIX. pag. 401, seq. Sane omnia

optime monet, nulla in nos operantur qualitate occulta antivenenosa, sed unice acrimonia sua nervos & vasorum vilos stimulando, proinque idem quod stimulus venenosus ex aëre haustus agunt. Uti quidem à maximis in nostra arte Viris, Sydenhamio, a) Harrisio, b) Fr. Hoffmanno c) aliisque pluribus satis superque ostensum est & demonstratum, qui omnes testantur, imprudenti calidorum & alexipharmacorum usu acutas febres in malignas converti, & exanthemata, non obscurum massæ sanguineæ horum qualitate acri resolutæ indicium sæpiissime elici. Immo Fr. Hoffmannus Med. Syst. Rat. Tom. IV. pag. 213. §. II. dicit, febre purpurata laborantes, ingruente primum morbo, fere periisse omnes, quod calidis remediis cum æstuoso regimine tractarentur, quapropter etiam illa serio prohibet. Ut adeoque calida atque alexipharmacæ ex febrium acutarum curatione plane relegari mereantur, & potius in malignarum curationem, in quibus æstus minor est, relegari, in quibus majori cum fructu adhibita fuerunt.

S. II.

Ante omnia in curatione febrium acutarum sollicito medico sanguinis rarefactio, à qua omnia symptomata, inflammatio nempe & spasmi excitantur & exacerbantur, deprimenda. In febre acuta vero synocha simul id efficiendum, ut sanguis stasin inflammatorym constituens (siquidem omnis continua febris cum inflammatione conjuncta est, quæ in synocha per totum corpus diffusa est, ut in præcedentibus dictum jam est,) resolvatur, quod fit, vasa roborando, ut cruentum stagnantem in majora vasa repellere possint. Obtinetur id per adstringentia (uti sanguinis exæstuatio per refrigerantia deprimitur) qualia in remedio novo

omnia alexipharmacæ calida nulla in nos operantur qualitate antipestifera, antimaligna, sed unice irritando sua acrimonia nervos & vasorum vilos. Ergo agunt idem illud, quod agit stimulus venenosus ex aere haustus. -- Vergere enim facit Miasma sanguinem nostrum in alcalescenciam & putrefactionem.

- a) Opuscul. p. 128. & 129.
- b) De morbis infant. pag. 78. & 79. seq.
- c) Med. Syst. Rat. Tom. IV. p. 331. §. 10.

novo aqua frigidiuscula, acida, spiritus vini, & aromata, radices nempe angelicæ, serpentariæ virginianæ semenque cardamomi sunt. Aquam frigidam roborare & fibras contrahere nemo facile negaverit. Omne enim frigidum fibras contrahit. Apparet vero id præcipue ex phœnomenis epota frigida aqua in corpore conspicuis. Sic apud multos epota frigida stimulus ad mingendum excitatur, quod quidem ab adductis vesicæ fibris, vesicam constringentibus & urinam propellere nitentibus derivandum est. Galenus jamjam potionem frigidam eam ob rationem in febribus acutis laudat, quia naturam robustam reddat, ut per alvum & sudorem expellat, quæ noxia sunt. a) Acida & spiritum vini adstringere cuivis illa degustanti facile innotescit, os enim contrahunt, uti quidem ab omnibus adstringentibus fieri solet. Radices angelicæ & serpentariæ virginianæ aromatico suo, quo gaudent, stimulo idem præstant,

Uti autem in inflammationibus, in quibus crux non tam alte in lymphatica vasa penetravit, neque adeo incuneatus est, adstringentia & roborantia sunt adhibenda, ita ubi valde impactus est, præsertim si pars hæc nervosa & membranacea est, uti in ventriculi, intestinorum, vesicæ & viarum urinariarum, quæ omnes nervosæ ac fibrosæ, partes frigidæ ideo à Veteribus dictæ sunt, inflammatione, tunc contraria methodo incedendum. In hac enim emollientibus & fibras relaxantibus opus est. Si enim sanguis stagnans in loco, in quem delapsus est, valde impactus hæret, in locum congruum repelli prius nequit, quam emollientibus vascula hæc sic laxata sint, ut humorem stagnantem possint dimittere, tuncque simul liquori resolventi aditus patefit, ut libero appulsi illum sensim resolvere queat. Præcipue id vero in membranaceis nervosisque partibus obtinet, quia ab humore illapso tanquam spina infixæ validissime statim contrahunrur. Ex his principiis deducendum mihi videtur esse, quod Cluttonus, ut supra dictum fuit, si ad ventriculum vergit impetus, quod ventriculi inflammationem denotat, emollientibus, quale potus moderate calidus est, utendum, adstringentia vero, uti spiritum vini solli-

a) Meth. medend. lib. 9. cap. V. Præter venæctionem potio frigida conductit, quia extinguit febrem, & naturam robustam reddit, ut dein per alvum & sudorem expellat, quæ noxia sunt.



cite vitanda esse ajat, immo julepum sine aromatibus propinare jubeat. Ventriculus enim, uti nemini non constat, pars membranacea & nervosa valde est. Hinc Fr. Hoffmannus etiam in febre stomachicà fibras relaxantia remedia commendat, nec non anti-spasmodica atque demulcentia, vid. M. S. R. Tom. IV. p. 375. §. I. ut vascula à spasticis stricturis coarctata amplientur, & ipsi spastici motus componantur, quo liber, æquabilis & naturalis sanguinis progressus per ventriculum restituatur; quum in synocha roborantibus atque adstringentibus, uti frigidæ potus, acetum succusque fructuum acidulorum, citri, limonum, ribium, tinctura & aqua rosarum &c. sunt, utendum esse velit. a) Egregie hæc conspirant cum iis quæ Ill. van Swieten in aureo suo in Bœrhaavianos aphorismos commentario Tom. I. §. 396. n. 6. dicit, quando de modo sanguini in inflammatione liberam per vasa viam aperiendi loquitur: Duplici autem, inquit, modo hoc fieri poterit, vel laxando sic vasa obstructa, ut transmittant per ultimos suos fines in venas immeabiles moleculas; vel constringendo vasa per refrigerantia, repellentia aut adstringentia, ut retropellatur obstruens immeabile ex angustiis quibus hæret, versus latiorem locum vas.

Priorem scopum obtineri dicit emollientibus, præcipueque locum habere, ubi vetustior jam morbus est, & obstruens vasis incuneatum non facile se retropelli patitur, tunc enim laxantia & aperientia vasa expediunt, & materiam obstruentem solvunt. Galenus b) sequenti modo hac de re differit, quando frigidorum usum in phlegmone commendat: Magisque profecto, inquit, ad incipientes phlegmonas frigidis & adstringentibus, quam discutientibus, est utendum: atque etiam magis, ubi crassum non est, quod confluit. Vehementi enim in parte inflammata incunatione facta, non est amplius repercutientibus utendum, sed tunc tempestivum est discutere. Posterior vero methodus apud Veteres Medicos frequenter usitata fuit, quando à nulla evidente caussa pars quædam corporis subito inflammabatur, quam inflammationem à fluxione tunc oriri ajebant, inque ea remedia quibus vis refrigerans inest & adstringens, applicabant. Talis synocha acuta in principio est, illa enim etiam à caussis non tam manife-

stis,

a) Ibid. pag. 328. §. II.

b) Method. Medendi Lib. LIII. cap. 6. Tom. X. pag. 301.

stis, ut refrigeratione, quæ calenti corpori admittitur, transpirationis insensibilis suppressione &c. sæpe excitatur, & inflammationem non valde profunde penetrantem habet, quia impetus sanguinis in principio ejus riondum tantus est, neque sanguis adhuc tantum mutatus. Videntur ergo Veteres illam sub fluxione, in qua adstringentia suadebant, intellexisse. Forsan pleraque inflammations particulares huc referendæ sunt, quia semper fere vitium quoddam particulare, uti magna talis organi laxitas &c. inflammationem talem exacerbans subesse in illis videtur. Simul vero etiam remedia hæc dum locum obstructum vacuant, tonum & robur affectis partibus reddunt, sicque impediunt, quo minus tam facile iterum repleantur.

Forsan repellentium & adstringentium cum laxantibus conjunctio interdum in inflammatione etiam locum habet. Sæpe enim contraria remedia conjuncta prodesse solent; & abs Fr. Hoffmanno in multis inflammatoriis morbis hoc fieri invenio. Ita ad præscindendam anginosam in febre ardente inflammationem linctum ex julepo rosarum, nitro & camphora, oleoque amygdalarum dulcium conflatum præscribit; Et in eadem ardente febre juxta frigidum potum, & julapia ex aqua fontana cum citri succo confecta, ptisanasque cum syrupo acetositatis citri, vel julepo rosarum spirituque vitrioli conditas, demulcentia, emulsiones ex amygdalis, seminibus quatuor frigidis, cum paregorica virtute pollentibus aquis, sambuci, tiliæ, primulæ veris &c. & lac ipsum, oleum amygdalarum dulcium, serumque lactis dulce commendat, quæ ultima præcipue proficia ait esse ad arcendam inflammationem partium nervoso-membranacearum, quæ his morbis eventu demum accedit funesto, modo exhibeantur debito ordine, tempore ac dosi. Sic Magnus Bœrhauius etiam repellentibus & adstringentibus anodyna & aperientia commiscet. Aphorism. de cogn. & cur. morb. aphor. 596. n. 6. In quibusdam remediis utrumquic hoc principium à natura conjunctum habetur, ita in sulphure, uti Cheyne a) sese exprimit, acidum quod illi inest, vitriolicum vasa arctat & constringit, oleum autem lubre-

C 3

facit

a) Méthodo naturelle de guérir &c. Part. II. pag. 119. Le soufre resserre les vaisseaux par sa vertu stiptique, & par son sel & par son huile il lubrifie & il evache.



facit & laxat Id quod ideo hic adduco, quia qualitas sulphuris emolliens remedio novo virtutem quandam etiam tribuere videtur. a)

Si sanguis in minimis arteriolis impactus est, ejusdem resolutionis diluentibus & attenuantibus obtinetur. Per diluentia tum simul si quæ in sanguine acrimonia est, uti in pessimis inflammationibus fieri solet, obtunditur & diluitur, & sanguini lenitas conciliatur. Optime id mediante aqua copiosa cui tinctura febrefuga instillatur potest fieri. Sique Massa sanguinea liquidioribus partibus orbata, spissitudinem inflammatoriam contraxit, ista aqua ope sachari quo julepus edulcoratur tanquam sapone blandissimo cum sanguine commisceri poterit, tunc enim semper aliquo medio ad mixtionem diluentium cum sanguine adjuvandam opus est, quæ sine illo cruda per sudorem alias diffitantur, neque cum inspissato cruore miscentur,

Ablatis per convenientia remedia febre ac inflammatione vasa roboranda veniunt, ut recidiva præcaveatur; quod præprioris necessarium est, quando febris subita crisi uti in curatione per julepum febrifugum terminata, atque judicata est, uti etiam post omnem gravem vires valde atterentem febrem. Corpus enim per febrem insigniter debilitatur, spasmis qui cum omni febre conjuncti sunt, semper insigniter debilitantibus & atoniam semper relinquentibus, quemadmodum atonia vicissim spasmis velificatur. vid. Fr. Hoffmann. loc. cit. Tom. III. p. 82. Idem celeberr. Vir simul monet, quo vehementior spasmus sit, diutiusque partem affligat, eo majorem atoniam, imbecillitatem ac virium resolutionem relinquens; ex quo prompte fluit, quo vehementior & quo diuturnior febris sit, eo majorem etiam virium imbecillitatem solutam febrem sequi debere. Quanti vero momenti sit, finito morbo, ut debilitato corpori robur suffuratum reddatur, apparabit, si eundem Celeberr. Virum de largo morborum ex atonia proventu differentem audiamus. b) Affirmat enim neque ullum morbum ullumque symptomā gigni, nisi præcedat eximia generis nervosi infirmitas, aut nobiliorum partium atonia, sive hæc in ventriculo, intestinis, systemate vasorum mesaraicorum, membranis cerebri aut medullæ spinalis, sive etiam excretoriis consitatis,

a) Vid Clutton. p. 4, §.

b) Tom. III. §. XLIII. pag. 80. & 81

stat, quo etiam fiat, ut roborantia & balsamica medicamina languidam partium facultatem refocillantia, ad arcendos morbos efficacissima sint præsidia. Idem non potest non intelligere, qui considerat, roboratis vasis non modo omnes se- & excretiones melius procedere, verum etiam illis durante adhuc morbo in usum vocatis, crisin completiorem consequi, tunc enim materia morbifica omnis ejici potest. Hæc vero roboratio in methodo Cluttoniana per remedia amara fit, quæ post febris ablationem per aliquot septimanas, uti supra dictum fuit, secundum ejus præscriptionem usurpanda sunt.

Sequens adhuc indicatio ad curationem synocharum acutarum febrium abs Fr. Hoffmanno ponitur, ut 1) liber sanguinis circuitus maxime ad superficiem corporis restituatur, 2) illud quod stagnat, & corruptum est, discutiatur. Nimurum blanda diaphoresi opus est, ut reliquiæ morbi expellantur. Simul vero etiam si quæ sentina in primis viis à stagnantibus corruptisque ibi humoribus hæret, illa congruis medicamentis eliminari debet. Ad priorem scopum consequendum in Cluttoniana methodo julepus saltem febrifugus tamdiu continuandus est, usque dum urina & pulsus omnem morbi fomitem expulsum esse indicent. Ea enim mirabilis est hujus remedii proprietas, ut dum febrem & exæstuacionem sanguinis tollit, simul vasa etiam roboret & adducat, unde fit, ut per continuatum ejus usum omnis noxius humor è corpore expellatur. Hoffmannus in hunc finem blanda diaphoretica, pulvères scilicet vel bezoardicos temperatos vel absorbentes, non-nunquam cum nitro aut succo citri assumendos suadet, nec non infusa theiformia ex veronicæ, scordii, cardui benedicti herbis, quæ in primis quando quarto die synocha febris critico sudore solvit, pulsusque quietior cum sudore redit, ad secundandam hanc salutarem excretionem proficiunt.

Quoad secundum scopum, qui eliminationem sentinæ in primis viis aut circa primas vias hærentis respicit, illi purgantibus aut potius laxantibus satis fit. Nimurum frequentissime observatur, in febribus acutis non modo in sacco illo duodeni materiam putridam malæ notæ delitescere, quæ ubi in massam sanguineam resorpta fuerit, gravissimas turbas excitat, verum etiam in venæ portarum systemate, à quo intestina reliquaque abdominalia viscera



scera vasa habent, simile quid latere, ex quo tanquam ex equo Trojano plurima morborum monstra & præcipue etiam febres omnis generis prodeunt, sanguis enim plures ob rationes facilime in eo stagnationem & statim concipit, & pertinacissimi morbi, qui nisi ad hunc locum medela dirigatur, eradicari nunquam possunt, hic stabulantur, sedemque fixam habent. Purgantium ope vero non modo Saburra in sacco duodenali primisque viis, verum etiam in vena portæ stabulans exturbari poterit, resolvendi enim etiam spissosque humores fluidos reddendi vi pollut, neque nocebit, si particulis acribus in massam sanguinem resorptis motus sanguinis paulo concitatior fiat, modo non tantus sit, ut ægrum debilitet, & malum afferat. Cluttonus purgantia quater aut quinquies repetere jubet, quod in sua methodo ideo necessarium est, quoniam crisi per illam præcipitata non omne noxium plene evacuat. Hoffmannus laxans ex manna, cremore tartari, vel etiam cassia & rhabarbaro suadet, simulque monet, valida omnia purgantia, multoque magis emetica vitanda esse, quia tactis jam levi inflammatione visceribus facile funestam inducunt inflammationem, ut proin etiam ipsas pilulas Becherianas aliasque hujus generis quæ alias satis benignæ sunt, tanquam noxias è febrium acutarum curatione excludat.

Sicco præterivi pede indicationem quam Hoffmannus adhuc ponit, partes nimirum vitales à nimium congesto sanguine mediante venæsectione liberandi. Nam in febre acuta sæpe in vasis majoribus ante ventriculum dextrum sanguis accumulatur, libera sanguinis, mediante sinistro ventriculo per arterias propulsione, sicque etiam dextri ventriculi per pulmones in sinistrum, proinque quoque majorum vasorum in dextrum exonerazione impeditis. Unde semper tum etiam difficilis respiratio adest. Sæpe tunc vasa spasmis arctata sunt, unde etiam sanguis per venas celerius ad cor & majores vasorum ante cor positos truncos derivatur, & in illis tum dicto modo coacervatur. Vel etiam crux in angustiis minimarum arteriolarum hærens liberam sanguinis propulsionem in arterias impedit, vel cor debilitatum illi propellendo non sufficit. In omni hoc casu sanguis ante cor dextrum cum summo periculo coacervatur, ipsa enim vita tunc periclitatur, cessante enim cordis motu, desinit vita, cessare vero debet.

si hoc

si hoc resistantias arteriarum superare amplius nequit, tum etiam sanguis longa mora ante cor dextrum detentus coagulari poterit, unde etiam summa semper anxietas tunc ab ægris sentitur. Cluttonus omnem venæsectionem inutilem pronunciat esse, nisi plethora adsit. Hæc sanguinis ante ventriculum dextrum accumulatio vero etiam accidit, ubi nulla plethora adest. Tali que in casu periculum in mora quantocyusque succurrendum esse videtur, quod equidem omnium citissime sanguine immediate ex vena detracto fieri potest. Forsan julepus febrifugus tam cito agit ut venæsectionis vices supplere queat. Neque vero ait Cluttonus magnum incommodeum ex venæsectione resultare, ut proin illam sine damno, præsertim ab initio viribusque ægri nondum fractis, administrare liceat; Dicit tamen illam esse inutilem, & esse consultius, illam omitttere, quia sanguinem non sine ratione profundere oporteat. Medetur vero julepus febrifugus omnibus recensitis caussis sanguinis liberam per arterias à corde sinistro propulsionem impedientibus. Roborat enim cor debile, si ejus debilitas in causa sit. Vasis spasmodyce crispatis, temperato calore qui refrigeratam per illum massæ sanguineæ exæstuationem consequitur, spasmi relaxantur. Calor enim moderatus omnis spasmos relaxat. Et tandem sanguis nimis inspissatus imminuta circulationis celeritate magnoque sanguinis æstu depresso resolvitur.

Sect. IV.

EX eis quæ de curatione febrium acutarum, deque requisitiis ad eam necessariis, & remediis eo propriis diximus, apparet non solum methodum Cluttonianam omnibus numeris ad febrium acutarum curationem satisfacere, verum etiam remedium novum omnibus ad hanc curationem dotibus necessariis instructum esse, quippe exæstuationem sanguinis efficacissime sedat, & vasa simul roborat, quæ duo febrium acutarum curationem proprie absolvunt, & quo citius hæc efficiuntur, eo citius febris acuta sanatur. Explicandum adhuc supereft, quomodo tam brevi tempore, viginti quippe quatuor horarum spatio febres acutas tollat;



Singularem hunc febrifugi novi effectum à volatilitate, quam à longa cum vini spiritu digestione accepit, euidem derivo. In antecedentibus dictum est, acida mineralia vitrioli, sulphuris, salis per integrum mensem cum spiritu vini digerenda esse. Notissimum vero est, quanti digestio cum vini spiritu ad acida mineralia per se ponderosa activiora reddenda & quasi volatile latilisanda momenti sit; ut id ex Hoffmanni spiritu vitrioli dulci, liquore anodyno illi dicto, nitrique ejusdem dulci spiritu dilucescit, quem utrumque, præcipue vero primum plurima tam effectu paregorico quam roborante præstare constat. Videtur igitur volatilitate quæ per longam cum spiritu vini digestionem illi conciliata est, citissime & intime cum sanguine misceri, unde dum stimulo spiritus salis simul vasa stimulantur, a) ut se oxyssime exonerent, per ingentem vim refrigerantem quo julepus febrifugus gaudet sanguinis fervor efficacissime temperatur (videtur eo etiam plurimum conferre, ingens aquæ copia, quæ hac methodo ingurgitatur. Larga enim aquæ frigidiusculæ ingurgitatio æstum sanguinis efficacissime compescit, uti Veteres jam asseruere, & Fr. Hoffmannus novis probavit experimentis. vid. M. S. R. Tom. III. de aquæ frigidæ usu.) & vasa simul roborantur, ut crisis brevissimo tempore debeat accidere. Ut adeoque valde sit probabile, illud effectus quos Cluttonus de eo refert, præstare potuisse.

Neque vero hæ solæ sunt quibus julepus febrifugus præ reliquis in febribus acutis hucusque adhiberi solitis medicamentis præcellit, sunt adhuc aliæ quæ illum commendant non parvum momenti qualitates. Quum etenim venæsectio & aqua frigidiuscula, quæ ambo ex efficacissimis sunt refrigerantibus, ita sint comparatæ, ut venæsectio ægrotis à vehementia morbi jamjam debilitatis, robur adhuc ulterius subtrahat, præsertim si in tanta copia ac in historia ex Dovero allegata aliisque largam sanguinis missionem postulantibus casibus instituatur; aqua vero si sine tinctura antifebrili propinatur, ad plures mensuras, si effe-

a) loc. cit. Tom. III. pag. 607. §. 13.

si effectum speratum præstare debet, ingurgitari debeat, unde ventriculus & primæ viæ valde etiam debilitantur, magnæ utilitatis debet esse remedium, his incommodis carens. Tale equidem remedium novum est, quod non modo in longe minori quantitate quam simplex aqua frigida, quæ ad tres mensuras secundum Hoffmannum propinari & per plures dies continuari debet, effectum febrem sedatorium exerit, verum etiam venæ sectionem, uti supra jam diximus, plane inutilem reddit. Unde non possumus non illius usum Practicis commendare. Ultimo ut ejus usus in multorum ægrorum salutem vergat, ex animo opto.

Placet quasdam adhuc observationes anatomicas, quas mihi in Xenodochio militari Argentoratensi per duos hyemes quibus anatomiæ ibi incubui, observare licuit annectere. Prima concernit oppido rarum naturæ spectaculum, musculum rectum abdominalem ad claviculas usque continiatum. Superstratus erat pectorali majori, in utroque latere unus, sterno utrinque ad latus positus. A cartilagine sextæ costæ veræ lato atque carneo principio oriebatur, eandem cum musculis abdominalibus habens latitudinem, non tamen penitus eandem crassitatem. Secundum sternum recta versus superiora tendens, desinebat in tendinem compressum, aliquot lineas geometricas latum, duos circiter latos digitos longum, album, splendentem. Tendo hic claviculæ prope insertionem sternomastoidei, cum cuius tendine confundebatur, inserebatur. Similem descripsit Celeberr. Albinus in descriptione muscularum.

Altera oppido etiam rara observatio, situs cordis inversus in infante aliquot septimanarum observatus est, cuius historia huc reddit: Infantem hunc cera per aortam injecturus, dum thoracem aperio, statim insolitam pericardii structuram offendit. Ut enim pericardium naturaliter triangulum format rectangulum, cuius apex apicem cordis recondit, basis vero basin cordis concludit, apexque in sinistro, basis in dextro latere est, hic contraria ratione se habebat, ut apex in dextro, basis vero in sinistro latere



latere essent. Aperto pericardio, in quo plurima aqua rubella continebatur, cordis idem plane situs erat, apex enim dextrum latus, basis sinistrum spectabant, cordisque ventriculus sinister cum auricula sinistra anterior, dexter cum auricula dextra posterior erant. Vasa cordis præter mutationem loci ob situm cordis mutatum nihil præternaturalis ostendebant. Aorta enim uti naturaliter solet, ex ventriculo cordis sinistro oriebatur, & curvaturam solito modo absolvebat, primo ascendens, dein iterum descendens; & ex curvatura solitos tres ramos, unum dextrum, carotidi dextræ & subclaviæ dextræ communem originem præbentem, alterum medium, carotidem sinistram, tertiumque sinistrum, subelaviam sinistram emittebat. Arteria etiam pulmonalis, per canalem arteriosum cum aorta rite communicans, vena cava, venæ pulmonales & vasa coronaria, nec non reliqua cordis structura, quoad auriculas ventriculosque, plane secundum naturam sese habebant. Neque in reliquo vasorum systemate, nec in visceribus quidquam inveniebatur, quod à natura abscederet. Notandum adhuc est, sub injectione quæ per aortam ubi ex sinistro ventriculo prodit, instituebatur, cor se iterum vertisse, inque naturalem situm composuisse. Similem historiam inseruit infantis Celeberr. Daubenton, dans la Description du Cabinet du Roi, & iconem ibi expressit, qui tamen in eo à nostro differt, quod in illo reliqua viscera etiam translocata essent, ita ut hepar sinistrum, ventriculus atque lien nec non pancreas dextrum occuparent latus, colon etiam plane inverso modo se haberet, (cœcum enim in sinistro latere erat, & colon à dextro latere in pelvis tendebat): Ren dexter deficeret, sinister vero eo major esset, dextra glandula atrabilaria, cuius ren deficiebat, altera major esset. Vasa simili modo ac viscera loco mutata erant, ductusque thoracicus in dextram subsclaviam inferebatur. Vixit noster infans quatuordecim dies, hic vero quinque saltem. Auctor hujus historiæ in memoratum librum insertæ illum non ob præternaturalem viscerum constitutionem mortuum esse vult, quæ quoad struturam rite constituta erant, siquidem exemplum militis septuaginta duos annos visceribus omnibus tam abdominis, quam thoracis translocatis, viventis, exstet.

Alias adhuc in promptu haberem naturæ variationes, ex quibus rariores feligo, minus raras vero silentio prætereo. Ita tria bicipitis brachii vidi capita, in eodemque subiecto coraco brachiale duplicem. Quoad primum horum, illius tertium caput, quod supernumerarium erat, minimi digiti crassitatem æquabat, teresque erat, superius inter coracobrachiale & tricipitem musculo fine insertum; inferius communem cum bicipite tendinem habens. Coracobrachialis alter exterior magis, alter interior erant; exterior ordinaria hujus musculi gaudebat crassitatem, & interiore crassior erat, superiorique interioris tendini fibris musculosis adhærebat. Exterior sub bicipitis tendine, interior autem penes eundem terminabantur.

Muscum extensem communem digitorum pedis à peronæo minimo ægre separabilem, fibrisque admodum tenuibus constantem quoque vidi, quum peronæus minimus è contrario crassior esset. Utriusque musculi tendines ordinario modo dispositi erant, extensoris communis tamen solito tenuiores videbantur esse.

Vidi singularem etiam muscum inter vastum internum & tricipitem femoris, aliquot digitorum latitudine infra trochanterem minorem orientem, superius vero spinæ anteriori inferiori ossis ilii insertum. Crassitatem circiter pectinatum æquabat, qui quod hic monendum duco, cum reliquis musculis solito modo aderat.

Sic etiam bis, duos tantum ramos ex curvatura aortæ ortos vidi, ita ut dexter subclaviam dextram & utramque carotidem largiretur, sinister vero subclavia sinistra esset; uti etiam cœliacæ ramos, hepaticam, lienalem, coronariam ventriculi & diaphragmaticam sine intermedio truncō ex aorta venientes; nec non arteriam brachialem duplicem, aut potius radiæam immediate ubi axillaris arteria brachialis fit, ex brachiali ortam.

Mentio etiam facienda musculi cuiusdam sterno mastoideo à latere positi, cleidomastoideo vero incumbentis, quem ab Auctoriis non descriptum invenio, quemque tamen in plusquam

octo vel decem cadaveribus constanter reperi. Resecto & sublato platysmatemioide in conspectum venit, cum quo fibrarum palliditate & tenuitate, nec non earundem rectitudine convenit. Superius parti posteriori & superiori processus mastoidei à latere sternomastoidei lato & tendinoso fine inseritur. Inferius dupli gaudet origine altera lata à clavicula, immediate ante cleidomastoidei originem; carnea, qua resecta cleidomastoideus demum in lucem prodit, cuius origo simul hac minus lata, & tendinea est, & in progressu latior fit; altera angusta, à sterno, cum sternomastoidei tendine confusa. Aliqua ejus portio sternomastoideo solet incumbere. Prima vice supra sternomastoidei finem in processu mastoideo tendinibus septem vel octo, radiorum in modum dispositis inferebatur, quod vero non constanter ita se habet, quum ejus finis ordinarie à latere insertionis sternomastoidei in processu mastoideo sit.

T A N T V M.



* * *

PRÆNOBILISSIMO ET DOCTISSIMO
DOMINO RESPONDENTI
P R A E S E S.

Qui Te ab exordio litterarum Tuarum intime novi, quum rationem jam reddas omnium, quæ ab auspicio illarum egisti, non possum sine publico aliquo testimonio Te dimittere. Fundamenta apud nos jecisti egregia, & reliquias cum laude Musis nostris, ea mente profectionem instituisti, quæ desideria Tua erudita & honestissima luculenter nobis monstraret. Nondum satisfecisse Tibi videbaris, sed quicquid in rem Tuam convertere porro poteras, id omne sacrum Tibi erat, & dulcissimæ patriæ Tuae futurum aliquando fructuosum. Rediisti ad nos uberrimus onustus & ornatus fructibus, & ab omni salutaris artis parte præclare instrudus. Meditationes inter alia Tuas contulisti & incubuisti in methodum quandam cel. Cluttonii, febres continuas sanandi, de qua fama aliquo abhinc tempore viget non mala. Pro modestia, qua excellis, noluisti Tua experientia methodum hanc adgredi, satis tamen digna Tibi visa est, quam aliquo Tuo judicio adgredereris. Compendium totius methodi in doctissima Tua inaugurali Dissertatione perspicue doces & explicas. Et mihi quidem satis apta illa videtur ad infringendum omne malum quod ex orgastico nimis sanguine trahit originem, illud etiam, quod jam aliquandiu invaliduit. Neque enim incredibile est, caussam ipsam febris etiam cedere medicamentis, quæ organum præcipue sanguinis petunt, unde primus forte, qualis ab initio morbi status fuit, restituitur, hoc vero restituto tandem ad sanationem devenitur. Modo febris omnis continua ab ejusmodi sanguinis statu orgastico pendeat, modo etiam effectus tincturæ istius febrim fugantis reliquorumque medicamentorum sit certus. Hoc auctor methodi magno in pretio habere videtur, ut in ea crisis, quæ regulariter deci-

decimo quarto tantum die esset expeditanda, tempus hoc à natura definitum jam antevertat: id quod durum iis videri posset, qui veterum medicorum nimium sunt reverentes. Licet vel hodiernos medicos aliquantisper distingere, vel minus honorifice de veteribus sentire nolim: non tamen sic natura me finxit, ut omnia contemnenda esse putem & vellicanda, quæ non insipidis plane hominibus placere solent. Forte crisiū tempus interdum accelerari, nonnunquam retardari potest. Nec contradictionem involvit, crisiū ad decimum quartum diem destinatam absolvi jam ad secundum vel tertium diem. Fiant experimenta cum liquore anodynō minerali Hoffm. vel medicamentum hoc, quod cognoscere tantum incipimus, magis magisque nobis patefiat. Spiritus salis nitriique dulces alio etiam modo experiri adgrediamur. Denique nec eum liquorem, qui ab auctore nostro præscribitur, examini medico subjicere religioni nobis ducamus. Facile largiemur, multa non magnopere determinata significata esse ad singulorum ingredientium dosin definiendam. Sed omnia definiamus, & tunc componemus medicamentum, idemque intus exhibeamus, ut modus agendi pateat. Tale forte medicamentum invenietur, quod febres continuas inflammatorias in herba quasi suffocet: uti nulli dubitamus assere, medicamentum aliquando detectum iri, quod malignas, quæ HUXHAMIO nervosæ dicuntur, antequam scenam suam age-re possint, citissime jugulet. Eruditis Tuis meditationibus non indigna hæc existimatæ veris nec indaginis Tuæ sollertia, quæ matura satis suffulta prudentia calculum illis adjiciet. Ita vale, res Tuas feliciter agere perge, Tui memoriam jucundissimam mihi semper, mei Tuam exoptatissimam fore Tibi persuadens atque desideratissimam. Scripsi d. XIX. Sept. MDCLIII.

G. N. *

